



georg 1102

1 Eine eigene Oster predigt für den Chm.  
fürsten zu Datzten gehalten.  
M. 2.

2 Zwei predigt. Eine von der heiligen  
erzfabrikant, die andere von  
dem Obroffen abendmatt.  
D. M. 2.

3 Eine großere predigt von D. M. 2.

4 Zwei eigene Trostliche predigt zu  
Bmaltdalen gehalten. Durch D. M.  
. 2.

5 Der XV. Psalm Davids angedacht  
würg D. verbannt Regierung.



Dampf einer Christlichen vers.  
richtung von einem vordem  
verstorben Weiser.

Georgs-B. Bericht Ob man on die Tante und  
empfangung des herbe und blig  
Christi allein durch den Glauben  
Dinne selig werde. In die  
durch landte herbeher: fursin  
fravo 47 abend Br.

498

7. Dialogus in linguas und muthes zu  
 syrach vom Zündstücken Curioles zu  
 Mannia Graiffen vnnem Coelstro.  
 und vnd einem Episcopo vnd vnd  
 Chrysostomus durch vrbauu Rhegium
8. Veranschaulichung dreyer gegenwert der  
 papisten zu Braunschweig dar in fast  
 ihr großer zunder ligt zu dienst  
 dem Enslawen beyden Offenbarungen  
 I. vrbauu Rhegium.
9. Artickel so da setzen sollen auff die Con-  
 sultion zu Mannia oder wo also vnter  
 sich vberauswunder vrbauu, von  
 vnter vnter vnter, vnd was kein  
 annehmen oder geben dinsten vnter  
 vnter dinsten: M. 2.
10. Causes quare synodus in dicta à Ro-  
 mano pontifice puncto iii remissionis  
 principis, status & Curias Imperij pro-  
 fitantur puram & catholicam eudogij  
 doctrinam.
11. Ein Buchhändl vnter vnter vnter,  
 vnter der Zaninthen vnter. Buchhändl zu  
 parijs in frankreich &c.


Georgs-B.

12.

Tun den Busflam Caré Hof predigen und  
Leyen halten sollen, Es der Tunk  
des Drenthe Landes oberstallman  
Lennede.

13.


Boortzebub auf der Grichtige Robstliche  
Dinge.



CAVSÆ QVARE  
 SYNODVM INDICTAM  
 a Romano Pontifice Paulo .III.  
 recusarint, Principes, Status & Ci-  
 uitates Imperij, profitentes pu-  
 ram & Catholicam Euan-  
 gelij Doctrinam,

VITEBERGAE,  
 M.D. XXXVII.

Handwritten notes in the left margin, possibly including the name 'Herrn'.



Fragment of text from the adjacent page on the right, showing the right edge of several lines of printed text.





**D**IDIT Romanus Pontifex Paulus tertius Bullam, qua indicit generale Concilium Mantuæ celebrandum, & inchoandum proximo die XXIII Maij, suas etiam quasdam causas in bulla commemorat, quare synodum conuocarit. Adhæc nuncios misit ad Reges & Principes

Christiani nominis, qui significant eis Concilij indicationem, & hortentur vt ad eam Synodum, seu veniant, seu mittant Oratores, qui ipsorum nomine intersint. Itaq; cum ad nos venisset nuncius Pontificius, nosq; similiter hortatus esset, vt interesse Synodo, autmittere procuratores velimus, quemadmodum petiuit idem a nobis, inuictissimus Imperator Carolus Augustus, dominus noster clementissimus, existimauimus & nostra causa, & propter totius Ecclesiæ necessitatem, plane exponendum esse, quæ pericula alatalura esset hæc Synodus indicta a Romano Pontifice Paulo Tertio, Etsi autem pio consilio & bona conscientia, re diu disputata ac deliberata, sententiam nostram ostendimus, tamen non dubitabamus, quin hoc responsum nostrum aduersarij multis modis calumniaturi, ac deprauatori esent.

Nec vero in tantis rebus vllum plausibilis argumentum reperire possunt, quo magis prægrauent nos, causam nostram obruant, ac magis odium nostri apud omnes gentes accendant, atq; inflamment quam si criminentur nos, quod Synodi iudicium atq; autoritatem defugiamus, Affingent etiam nos aliarum nationum iudicia contemnere, quæ amorem religionis maximis rebus gestis declarant, quæ iam olim multos clarissimos Doctores Ecclesiæ pepere-

unt. Postremo vbi etiam nū sunt maxima studia do-

A ij      etrine

ctrina Christiana. Addent Synodorum recusatio-  
nem indignam esse Christianis, cum Synodi sint  
summa Ecclesiae iudicia, Adducent nos in suspitio-  
nem, quasi aut nos pudeat causae nostrae, quare eam  
proferri in lucem nolimus, aut ita delectemur dissidio  
orbis terrarum, vt temere nos a caeteris nationibus  
separare, & prohibere quo minus coeat concordia  
cupiamus.

Cum his criminibus nihil atrocius cogitari  
possit, maxime nobis laborandum esse existimaui-  
mus, vt huiusmodi calumnias refelleremus, & suspi-  
tionibus, quantum possumus occurreremus, & opinio-  
nem ac voluntatem nostram de huius Synodi indi-  
ctione, omnibus Regibus exponeremus, Speramus enim  
cognita nostra voluntate, non solum nos satis purgatos  
fore omnibus Regibus, Principibus & bonis viris apud  
omnes nationes, Sed etiam ipsos suum iudicium atque  
autoritatem addituros esse, & petituros, vt Ecclesiae  
recte consulatur, nec per speciem Synodi paucorum  
Tyrannide veritas opprimatur. Ostendemus enim  
nos non solum ab haeresibus & impijs dogmatibus  
abhorre, Sed etiam alienissimos esse ab arrogancia  
& pertinacia.

Nam adeo non contemnimus iudicia aliarum  
Nationum, vt hoc ipsum agamus, ne Papa cum suis  
iudicium sibi sumat, sed idonei & non partiales deli-  
gantur ad examinandam causam, Nec vero dubita-  
mus, quin tacite ubique terrarum gemens Ecclesia om-  
nibus hoc votis optet. Extant scripta quorundam do-  
ctorum virorum vetera, qui apud exteros floruerunt,  
qui deplorauerunt Ecclesiae calamitates, & eosdem  
errores taxauerunt, quos nostri reprehenderunt. Ho-  
rum virorum similes aliquos esse alibi in tanta fre-  
quentia studiorum omnis generis, credibile est, sed  
multi



multi oppressi Tyrannide pontificia, seu metu, seu suo quodam consilio tacent, quibus erat potestas dicendæ sententiæ faciendæ.

Nec Synodos defugimus, sed id quod iustissimum esse omnes intelligunt, verum iudicium synodi promitti petimus, in quo pii & docti, non partiales, damnent pugnantia cum verbo Dei, & retineant verbum Dei. Non est enim synodus vera & legitima, in qua pontifices, qui iniusta dominatione Ecclesiam oppresserunt, cognoscunt res, pronunciant ex suis traditionibus ac consuetudine contra verbum Dei, Christus cum constituit summum Ecclesiæ iudicium, inquit, Dic Ecclesiæ, prohibet Tyrannidem, & certe vult, ut Ecclesia ex verbo Dei statuatur, non ex humana aliqua autoritate. Rogamus itaque Reges & Principes exterarum Nationum, ne putent aliarum Nationum iudicia a nobis parvipendi, aut synodos contemni, nec fidem habeant aduersarijs nostris, qui his calumnijs incendere odia, & obruere puriorem doctrinam quam profitemur, conantur.

Nec videri possumus latebras querere, aut formidare lucem. Exhibuimus Casareæ Maiestati & omnibus cæteris Principibus atque ordinibus imperij, confessionem Doctrinæ, publice in Ecclesijs diligenter & assidue tradi hanc doctrinam, quam profiteamur, curamus. Extant scripta, etiam eorum qui apud nos docent, quos in multis locis præclare meritos esse de Ecclesia, etiam aduersarij paulo saniores, fatentur. Iacuit enim antea oppressa doctrina Christiana densissimis tenebris, videlicet impiorum cultuum, Monasticarum cæremoniarum, perplexarum quaestionum & cauillationum, Ex hac caligine postquam iterum Dei beneficio per homines pios & doctos apud nos euoluit doctrina Christiana cepit, de vera poenitentia,

A iij      tentia,

171  
tentia, de fide qua consequimur remissionem peccatorum, de spiritali iustitia, de vere bonis operibus, & veris cultibus, de vsu Sacramentorum, de potestate Ecclesiastica, de discrimine & vsu traditionum, de dignitate rerum ciuiliū, deq; alijs multis locis, Constat plurimum lucis Euangelio ex scriptis nostrorum accessisse, Has tantas res libenter in lucem profereamus, Et, vt Paulus inquit, Non pudet me Euangelij, ita nec nos pudet has res maximas, Ecclesie necessarias, vtilis ad pietatem & bonos mores, & ad communem tranquillitatem, in illa synodi luce omnibus regibus & principibus, omnibus nationibus exponere, & quantum satis est, explicare.

Magnitudo & vtilitas harum rerum, si recte intelligantur omnes pias mentes capit, Quare maxime optamus talem coetum, in quo & nobis liberum sit res nostras explicare, & bonis mentibus liberum sit pronuntiare iuxta verbum Dei,

Falsissima enim calumnia est, quod aduersarij saepe iactitant, spargi a nostris errores, olim damnatos, & renouari veteres haereses, Ideoq; negant opus esse cognitione, Nec difficile est refutare hanc calumniam prolata nostra Confessione, Nam haec pura Euangelij Doctrina, quam amplexi sumus, est haud dubie ipse consensus Catholicae Ecclesiae Christi, sicut testimonia veteris Ecclesiae & S. Patrum perspicue docent, Non enim recepimus aut approbamus vllas opiniones absurdas & pugnantibus cum consensu sanctorum patrum, Imo in multis articulis renouamus veterum synodorum & patrum dogmata, quae recentior aetas deleuit, & pro his alia tradidit falsa & notha dogmata in quibus aduersarij impudenter cum patrum iuditijs, & auto

& auctoritate synodorum pugnant.

Postremo quod de discordia dicitur, profecto nihil est nobis acerbius, quam diuelli nationes Christiani nominis, ac nos quidem a vera vnitae & consensu Catholicae Ecclesiae Christi nunquam discedemus, Eamque ob causam optanda est vera synodus, vt vniuersalis & pia concordia constitueretur. Sed cum Papa damnat veram & piam doctrinam Ecclesiae necessariam, & exercet seuitiam in pios, propter piae doctrinae professionem, cogimur mandato Dei dissentire a Papa, & ab ijs qui eius impietatem approbant. Est enim retinenda professio verae doctrinae, iuxta illud Christi, Si quis confitebitur me coram hominibus, confitebor eum coram patre meo coelesti etc. Nec licet nobis fieri scotos & ministros iniustae crudelitatis Papae. In imperio constat nos summa fide communem concordiam in rebus ciuilibus tueri, Quare non est verisimile nos in religione delectari dissidio, Deinde intelligimus quanto cum periculo dissentiamus ab alijs, Papa tot annos iam hoc praecipue agit, vt reges perpellat, vt bellum aduersus nos moueant. Tantum periculi non susciperemus, nisi sciremus Deum requirere, vt anteferamus omnibus rebus, vitae nostrae, dignitatibus, fortunis, tranquillitati, professionem veritatis, Quare testamur Deum, nos non cupiditate aliqua, sed tantum propter Deum hanc causam defendere, ac magnopere rogamus omnes Reges & Principes, ne aliter de nobis persuaderi sibi sinant.

Depulsis calumnijs & purgatis suspicionibus, speramus omnes aequioribus animis audituros esse, quid nobis de hac indictione synodi, facta a Paulo tertio, videatur, Fortassis aliqui arbitrantur nos curiositate

tate aliqua leues quosdam abusus reprehendere, quos  
dissimulare propter communem concordiam satius ac  
melius videretur, praesertim cum tanta sit infirmitas  
rerum humanarum, vt quaedam vitia condonanda  
sint communi tranquillitati, Qui ita de nobis iudica-  
cant longe falluntur, Primum enim errata doctrinae  
non sunt dissimulanda. Deinde nos non de leuibus  
erratis disputamus, Sed proferimus doctrinam de fi-  
de & multis alijs articulis, necessariam ad salutem ani-  
marum, & reprehendimus errores qui Christi glo-  
riam obscurant, item continent horribilem prophana-  
tionem & idolatriam. Quare etiam ante haec tempo-  
ra, quidam boni viri, synodos expetiuerunt, ut Eccle-  
siae communi deliberatione his morbis, nequaquam  
leuibus aut contemnendis, mederentur. Magis autem  
hoc tempore opus est tali synodo, quae sanet Ecclesi-  
am, cum & errores illi ueteres haerent in Ecclesia, &  
extitit discordia, & multis in locis exercetur seuitia  
iniusta propter piam doctrinam, . Quare non solum  
nos, sed etiam inuictissimus Imperator & Electores,  
& ceteri Principes atq; Episcopi etiam in Germania,  
censuerunt Ecclesiae opus esse libera & Christiana  
synodo, hoc est tali, in qua iuxta uerbum Dei, discer-  
natur uera & pia doctrina, ab impia, & impia damne-  
tur pia uero conseruetur. Videbant enim periculum  
fore, ne mala publica magis exulcerarentur, quam  
sanarentur, nisi talis synodus haberetur, Ideo & nos  
talem synodum flagitauimus & ad talem prouocau-  
mus. Cumq; expectaremus talem synodum Ro. pon-  
tifex edit indictionem concilij, minime congruentem  
deliberationibus Imperatoris in imperio & cetero-  
rum principum.

Itaq; cum non modo nostro periculo moue-  
remur, sed iudicaremus agi causam Ecclesiae com-  
munem

munem  
tatus Cl  
nodus.  
se esse h  
& peten  
propter  
ram, ut  
mittatu  
mines i  
Nam ut  
siae, pra  
rum rito  
est Pon  
scopor  
dinum,  
in hac  
esset ei  
iudicare  
clesia ha  
cum co  
dum est  
& diuin  
bus hor  
esse, ut  
tificem  
nec tant  
Sed rep  
quos c  
cem de  
dijudica  
Pontifi

I  
praiud

munem, duximus ad omnes Reges, Principes & potentatus Christiani nominis scribendum esse, quare hæc synodus, quam Pontifex hoc modo indicit, & habiturum se esse significat, neq; æqua uideatur, neq; utilis Ecclesiæ, & petendum, ut Reges, & ceteri Principes ac potentatus propter gloriam Dei & communem salutem dent operam, ut habeatur synodus pia & libera, in qua non committatur cognitio doctrinæ Ro. Pontifici, Sed delecti homines idonei, non parciales, has controuersias explicent. Nam ut sit autoritas Synodi firma, ut opem ferat Ecclesiæ, præstandum est, ut cognitio tantarum controuersiarum rite fiat. Summum in Ecclesia iudicium nequaquam est Pontificis, sed ipsius Ecclesiæ, hoc est nõ tantum Episcoporum, sed etiam Regum, Principum, & aliorum ordinum, qui & ipsi sunt Ecclesiæ membra. Itaq; etiam si in hac dissensione Pontifex non esset pars, tamen non esset ei concedendum, ut ipse cum illis, qui ei addicti sunt iudicaret, ac reliquis ordinibus ius eriperet, quod in Ecclesia habere & tueri debent. Multo magis in hac causa, cum constet Pontificem cum suis esse partem, præstandum est, ne ipsi permittatur cognitio aut iudicium, cum & diuina iura, & lex naturæ, quæ diuinitus in mentibus hominum lucet, clamitent nulli homini cõcedendum esse, ut sit iudex in propria causa. Nos autem Ro. Pontificem & ipsi addictos accusamus, non de leuibus reb. nec tantum de dignitate aut opibus ipsius disputamus, Sed reprehendimus eius doctrinam, traditiones, cultus, quos constituit aut defendit. Id est accusare Pontificem de hæresi & idolatria, quarum maximarum rerum diiudicationem etiam Canones tribuunt Ecclesiæ, non Pontifici.

Deinde Pontifex non tantum est pars, sed multis præiudicijs iam damnauit causam nostram. Extat bulla

B Leonis

Leonis edita contra doctrinam, quam nos amplexi sumus. Damnatur etiam eadem doctrina, quotantis in bulla Cenæ, Mandat Pontifex ubiq; exerceri sæuitiam in omnes, qui hoc doctrinæ genus amplectuntur, Cum tot præiudicijs nos iam damnauerit, non est existimandum, quod Concilium Pontificium hæc præiudicia correcturum sit, aut sit futurum æquius, aut mitius. Neq; uero credibile est, Papam ius decidendi concessurum esse alijs. Neq; enim aliud sentit esse Concilium, nisi cœtum suorum, cui ipse præsideat, & cui soli tribuit ius suffragij, Ideoq; sic indicit synodum tantum, ut uocet sibi addictos.

Iure igitur suspecta est nobis hæc synodus, quia Papa in indictione, non ostendit se iudicium permissurum esse non partialibus, Imo uocat suos diserte, ut intelligamus quales processus uelit instituere. Ipse cum sit pars, uolet esse iudex. In hanc indictionem si consentiremus, Postea interpretaretur nostrum consensum, quasi nos ipsum iam fecissemus iudicem, & in hunc cœtum suorum quem conuocat, consensissemus, huic permissemus, ut processus & formam iudicij constitueret,

Tertio, Bulla ipsa satis perspicuas & iustas causas recusationis nobis proponit. Nam in ipsa statim indictione nos damnat, in qua non promittit cognitionem aut disputationem doctrinæ, sed tantum ait, indicit synodum, propter nuper exortas hæreses, item ad extirpationem hæresium. Quod, etsi in speciem generaliter dici uideatur, tamen Papa haud dubie uoluit describere & notare nostram doctrinam, quam nos profitemur, Nam suos errores quos defendit, non uocat hæreses.

Adhæc, ne cui dubium sit, in illa ipsa Bulla indictionis intelligi nostram doctrinam, Papa deinceps in bulla reformandæ

reform  
dem se  
enim a  
Ac uer  
honest  
suum p  
non du  
modo  
eam uo  
diction  
nam ef  
eam .  
posita  
recipiu  
hæresi  
extirp  
phistic  
bullæ  
ctrinar  
mus.  
pere p  
Ac sæp  
bullæ  
laqueo  
cepta  
esse . S  
teras n  
assenti  
iunger  
bitam  
fulere  
istim  
nam p



reformandæ Curie expresse nominat doctrinam, ubi eandem sententiam recitat de causis indicti Concilij. Ait enim ad extirpationem pestiferæ Lutheranae hæreseos. Ac ueteratorie Papa alibi dissimulat nomen doctrinae, ut honestam speciem offunderet oculis hominum, & tamen suum præiudicium significaret. Est ergo sententia Papæ non dubia, se indicere synodum, ut ibi deliberetur, quomodo Lutherana doctrina extirpetur, cum sit (ut ipse eam uocat) hæresis. Quare amentia esset, in talem indictionem consentire. Fateremur enim nostram doctrinam esse hæresin, Polliceremur operam ad extirpandam eam. Hoc enim uult illa forma indictionis insidiosissime posita. Primum enim receptione Bullæ, Papa eos qui recipiunt sibi assentiri intelligit, quod doctrina nostra sit hæresis notoria, deinde etiam tacite obligat, ut adiuuent extirpationem. Si agamus ingenue, sine fucis & sine Sophistica, necesse est fateri hanc esse ipsissimam mentem bullæ. Itaque si in hanc indictionem consentiremus, doctrinam nostram ultro testimonio nostro condemnaremus. Has insidias ut cæteræ nationes obseruent, magnopere propter communem Ecclesiæ utilitatem petimus, Ac sæpe miramur quo consilio Papa uoluerit hac forma bullæ uti, an ut arte deterreret nos à synodo, an ut nobis laqueos iniiceret, ut si consensissemus, obijceret, nos recepta bulla, confessos esse doctrinam nostram hæreticam esse. Sed uidetur præcipue hoc spectasse, ut Reges & cæteras nationes hac forma sibi obligaret, ut recepta bulla assentirentur doctrinam nostram esse hæreticam, & coniungeret eos, armaretque ad eam extirpandam. Non dubitamus Cæsaream Maiestatem cupere in commune consulere Ecclesiæ, & gloriam Christi illustrari. Quare existimamus ei nequaquam probari talem indictionem plenam præiuditorum & insidiarum.

Quarto, In hac indictione nulla fit mentio cognitionis

B ij

tionis, nihil de forma processus dicitur. Si hoc tantum agitur, ut domo afferant singuli præiudicium ex Bulla sumptum, quod hæc doctrina sit hæretica, & postea eatur in suffragium, quod communibus armis extirpanda sit, iustissime recusamus hanc synodum, mere Tyrannicam & dissimillimam iudicij Ecclesiastici, quod debet habere cognitionem doctrinæ ex uerbo dei. Talem nos cognitionem flagitauimus. Cumq; arbitremur Cæsaream Maiestatem etiam uelle, ut recte consulatur Ecclesiæ, & controuersia grauissimæ explicentur & rite cognoscantur, desiderabit ipsa Cæsarea Maiestas in forma indictionis æquitatem. Nunc spargit Papa in totum orbem terrarum, non tam indictionem Concilij, quam sententiam, in qua nos condemnat & atrociter nobis minatur. Addit alteram bullam de reformatione Curia, in qua expresse nos condemnat, postea petit à nobis, ut indictioni suæ assentiamur. Quod si faceremus, nostro testimonio causam condemnaremus. Non uolumus hæc copiosius exaggerare, Sed rogamus omnes Reges & omnes prudentes ubiq; terrarum, ut expendant quam non simpliciter, quam insidiosè, quam inique hæc indictio Concilij proposita sit.

Quinto, Illud certe non pacietur Pontifex iudicari controuersias ex Euangelio & Apostolicis scriptis, sed uolet eas iudicari ex Pontificum traditionibus, ex consuetudine, ex humanis opinionibus & recentium conciliorum decretis. Non finet autoritatem suarum traditionum labefactari, aut in dubium uocari. At hoc caput est in ipsis controuersijs, ne traditiones pugnantes cum uerbo Dei ualeant. Amplectimur nos quoq; & defendimus totis pectorib, consensum Catholicæ Ecclesiæ Christi, sed erroribus Pontificijs & Tyrannidi non est prætexendum nomen Ecclesiæ.

Catholica Ecclesia sanctorum Patrum nõ probabat traditiones

traditio  
infinite  
ecclesie  
sequitur  
plicijs  
nos ul  
Ecclesi  
mus  
cultus  
tra uet  
Conci  
aut hu  
Cuius  
tholic

E  
trü, q  
ma in  
tesiere  
quod  
ochia  
Maxi  
loci u  
Const  
tur ill  
perat

men i  
quam  
quoso  
oppr

Pann  
nega



traditiones pugnantes cum Euangelio, non tribuebant infinitam potestatem Romano Pontifici. Deinde illa ecclesia, quæ doctrinam Euangelij puram hostiliter persequitur, & exemplo Cain furenter grassatur, ut & supplicij in pios, non est Catholica Ecclesia Christi. Nec nos ullum nouum dogma inueximus in Ecclesiam, Sed Ecclesiæ Catholicæ doctrinam renouamus & illustramus. Papa & Monachi nouam doctrinam & nouos cultus excogitarunt, contra autoritatem uerbi Dei & contra ueteris Ecclesiæ Catholicæ consensum. Quare tali Concilio opus est in quo Ecclesia non ex consuetudine aut humanis traditionibus pronunciet, sed ex uerbo Dei, Cuius sententia est perspicua, & illustrata consensu Catholice Ecclesiæ.

Extant uetera & grauissima exempla sanctorum Patrum, qui synodos defugerunt, quanquam autoritate summa indictas, cum suspicabantur non hoc agi, ut ueritas patet, sed ut stabiliiretur aut Tyrannis, aut impium aliquod dogma. Constantius Imperator synodum Antiochiæ coegit frequentissimam, Ad hanc noluit accedere Maximus Episcopus Hierosolymorum, cum quidem loci uicinitas eum inuitare posset, Sed norat quo uoluntas Constantij propendebat, uel potius, quid machinarentur illi impostores, qui mirificis technis deprauabant imperatoris animum.

Athanasius cum uenisset in synodum Tyriam, tamen inde statim discessit ac fugit ad Imperatorem, postquam uidit ab ipsa synodo subornatos & instructos esse quosdam Sycophantas, qui ueritatem per calumniam opprimerent.

Cum Photinus horribilem tumultum excitasset in Pannonia, renouans ueterem Ebionis blasphemiam, ac negans in Christo esse duas naturas, Imperator ut in re

B ij

magna

magna synodum conuocat Syrmium. Ad hanc magnitudo negotij debebat inuitare omnes, præsertim qui non longissime aberant. Venit autem eo magna frequentia Arianorum, quæ cum suspecta esset pijs Episcopis in occidente, plurimi noluerunt Syrmium uenire. Ex præcipuis Episcopis uenit Hispanus quispiam Osius Cordubensis Episcopus, quem Imperator propter nominis celebritatem peculiariter euocarat. Cumq; ibi astutissime deprauatū esset Nicenum symbolum, Osius deceptus ambiguitate noui symboli illis assensit. Postea cum eius auctoritatem allegarent Hæretici, Ecclesiæ multis in locis magis perturbatæ sunt. Ideo Hilarius acriter uituperat Osiū, eiq; non solum imprudentiam, sed etiam leuitatem tribuit. Quare multo satius fuisset Osiū non uenire in synodum, Cyrillus Episcopus Hierosolymorum, qui defendit Homouision, & cum Gregorio Nazianzeno tandem consensit, aliquoties citatus à synodis non accessit ad eas, ac primus dicitur usus scripta appellatione.

Imperator indixerat ut Mediolani conuenirent Episcopi ex oriente & occidente. Ibi cum Paulinus Episcopus Treuirrensis, & pauci quidam alij animaduertent Auxentium fauere Arianis, statim initio discesserunt, & fuerunt ceteris autores discedendi. Non enim uolebant synodorum auctoritatem ualere ad delendam ueritatem. Eadem ratio nos quoq; mouet, ut illorum summorum uirorum exemplis cauendum putemus, ne nostro consensu confirmemus Romanum Pontificem, ut ueritatem facilius opprimat. Si illi sancti Patres recte defugerunt synodos, non statim à nobis alienari uoluntates suas boni uiri paciantur hac criminatione, quod synodos defugimus. Habemus enim perspicuas & iustas causas nostri consilij.

Sexto, Locus etiam Concilio designatus auget pericula,

cula, quia est in ea regione, in qua Papa contrahere plurimos sibi addictos potest, ut facile multitudine suffragiorum nos obruat. Alibi essent æquiora & liberiora iudicia aliarum nationum. Et aduersarij apud exterarum nationum onerant nos infinitis calumnijs, & nostras defensiones uetuerunt importari, spargi, legi, Ideoq; cum multi de nobis habeant falsas & atroces suspitiones atq; opiniones, prodesset exteros homines coram uidere statum Ecclesiarum & ciuitatum nostrarum, Præterea negotia sunt eiusmodi, ut necesse sit nobis ipsis interesse cognitioni doctrinæ, Sed non est tutum relinquere ditiones oportunas aduersarijs, Nec in ipsa Mantua sine periculo esse possumus, Deniq; non sine grauibus causis in Imperio deliberatum est, quod expediat ut synodus in Germania habeatur. Ab hac communi Imperatoris ac Principum deliberatione, cur discedendum sit, non uidemus, qui certe in loco eligendo rationem publicæ utilitatis & tranquillitatis habuerunt.

Exposuimus causas, quare hanc synodum, quam Papa indixit iure suspectam ducamus, quia Papa quantum sit pars, & nos multis præiudicijs damnauerit, tamen uolet cum suis esse iudex in synodo, Deinde cognitionem nullam ueram promittit. Imo nos iam in ipsa indictione condemnat, Ideo non possumus consentire in hoc Concilium. Rogamus igitur omnium nationum, Reges & Principes, ne calumnijs aduersariorum nostrorum, fidem habeant, qui recusationem synodi odiose traducent, sed considerent causas illas grauissimas, quas recensuimus, quas ( ut speramus ) intelligent esse iustissimas. Certe enim non possumus Pontifici, & ijs quos habet addictos, permittere iudicium, nec consentire priusquam sciamus an uelint concedere, ut delecti, idonei, & non partiales, libere dicant sententias iuxta uerbum Dei,

B iij Nam

Nam si consentiremus in hoc Concilium, quod Papa conuocat, postea patiendum esset iudicium Pontificis & sui cœtus. Allegaret enim nos in hoc Concilio consensisse, cum nos prouocauerimus ad Christianam & liberam synodum, Hæc est perspicua & non fucata & iusta causa recusationis, quam speramus neminem improbatum esse. Deinde nec in hanc ipsam indictionem consentire possumus, quæ cum nos condemnet, si eam recipere, nostro testimonio nos condemnaremus. Cum autem hæc nostra causa ad communem salutem Ecclesiæ pertineat, Quam Deus in primis summis Regibus & principibus commendauit tuendam & ornandam, Rogamus ut autoritate sua in hoc negotio intercedant, & efficiant, ut talis habeatur synodus, quæ sanet Ecclesiam, & constituat piam, ueram, & durabilem concordiam, uidelicet Christiana & libera in qua libere statuatur iuxta uerbum Dei. Hoc officio Reges bene merebuntur de tota Ecclesia & de omni posteritate, & Deo cultum gratissimum præstabunt, Indignissimum est enim, quod petit & molitur Papa, ut Reges adducat, ut ipsius Impietatem & Tyrannidem stabiliant, & exercent iniustam crudelitatem in pios rectæ doctrinæ assentientes. Hæc à Regibus longissime debent abesse, quos Deus in hoc fastigio collocauit, ut curent propagari uerbum Dei, & ornari gloriam Dei, & defendant innocentes, & præcipue eos, qui propter ueram doctrinam periclitantur. Quod si huiusmodi Christiana & libera synodus habebitur, & instituetur examinatio doctrinæ iuxta uerbum Dei, per homines Idonos non partiales, & de doctrina quam confessi sumus, rationem reddemus, & omnia ita agemus, ut intelligi possit, nos nihil aliud spectare, aut querere nisi ut gloria Dei ornatur, & consulatur communi Ecclesiæ saluti & tranquillitati.

Commen-

Illustration  
nomine  
seruan  
Marci

Commendamus itaq̄ nos Serenissimis Regibus, &  
Illustribus Principibus, omnium nationum Christiani  
nominis, ac vicissim eis officia nostra cum summa ob-  
seruantia deferimas. Ex Smalcaldia Die quinto  
Marcij. Anno Domini. M. D. XXXVII.

Vitebergæ ex officina  
Georgij Rhau.

Anno M. D. XXXVII.

a con  
& sui  
sensi-  
eram  
caussa  
urum  
entire  
emus,  
utem  
perti-  
rinci-  
amus  
ciant,  
onsti-  
delicet  
rbum  
Eccle-  
imum  
moli-  
em &  
delita-  
gibus  
o col-  
i glo-  
s, qui  
uius-  
titue-  
nomin-  
onfessi  
us, ut  
re nisi  
ecclesie  
  
men-




Handwritten notes in the left margin, possibly including the number 100.

Faint, mirrored text at the top of the page, likely bleed-through from the reverse side.

Amo M. D. XXXVII  
Faint text in the center of the page, possibly a date or title.






*Handwritten text in the left margin, possibly a page number or reference.*

**L**  
**ne**  
**rede**  
**Bib**  
**fra**  
**i**












1102





Ostern  
predigt.





CAVSAE QVARE  
 SYNODVM INDICTAM  
 a Romano Pontifice Paulo .III.  
 recusarint, Principes, Status & Ci-  
 uitates Imperij, profitentes pu-

